DE ARTERITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... UNA CUM THESIBUS...

Vincenzo Bonini

DE

ARTERITIDE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUATUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FERDINANDO NOB. DE CATTANEI DE MOMO

CHEMIAE GENERALIS AC PHARMACEUTICAE PROF. ORD.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Februarii 1845

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFERERAT

BONERA VINCENTIUS

Ex Pedergnaga in Provincia Brixiensi

TICINI REGII

Ex Typographia Fusi et Socii

Fusellus

ALL' AFFETTUOSO FRATELLO

FRANCESCO

QUESTO PRIMO TENUE LAVORO

DEDICA L' AUTORE

Devotissimo fratello VINCENZO

PROOEMIUM

Perdifficile admodum est, impraesentiarum, argumentum seligere, ex medicis disciplinis, quod insimul sit novum et viribus tyronis inexpertis respondeat. Nihilominus ut muneri satisfaciam academico, pro Inaugurali mea lucubratione optimum habui de Arteritide aliqua exponere; eo magis quod anatomia pathologica nostris temporibus de morbis arteriarum novam attulerit lucem. Vos autem, lectores benevoli si forte adsunt qui hasce pagellas pervolvere dignentur, non meo operi, ast meis conaminibus et viribus exiguis indulgete.

Morbi definitio et idea.

Arteritis idem sonat ac phlogosis arteriarum. Quum vero arteriae pluribus stratis diversis, quoad fabricam, componantur, nil mi-

rum si alterutrum aut singula horum pluribus diversis morbis, et potissimum phlogosi affici queant.

Arteritis est circumscripta aut generalis, acuta aut chronica. Quoad sedem modo arterias majores, modo arterias exiguas et ipsa capillaria arteriosa aggreditur. Arteritis capillaris ultimo intuitu cum phlogosi diversorum organorum confunditur, proindeque sub nomine *arteritidis* tantum phlogosis parietum arteriarum majorum distinguitur.

In qualibet arteritidis specie parietes arteriarum plus minusve e statu physiologico normali recedunt, et secretiones abnormes provocant. Praetium operis hinc arbitror, characteres anatomico-pathologicos arteritidis in primis exponere.

Anatomia Pathologica.

Laesiones anatomicae quae in arteriis phlogosi detentis inveniuntur, pro diversa morbi periodo, qua aegrotantes intereunt modificari solent. Has alterationes modo fabricam ipsam parietum arteriarum respiciunt; modo vero producta morbosa a parietibus arteriarum secreta largiuntur.

In prima periodo arteritidis acutae de more parietes arteriarum tument, indurantur,

et colore rubro coccineo ad internam vasorum superficiem hinc inde tinguntur. Tumiditas tamen parietum quandoque deest, quamvis alia indicia praegressae phlogoseos vigeant. In phlogosi gravi, eoque magis si per aliquod protrahatur tempus, crassities tunicarum augetur adeo, ut primo etiam intuitu haec hypertrophia oculis etiam inexpertibus pateat. Quoad ruborem adauctum arteriarum, praetereundum non est, dari ruborem arteriarum etiam absque praegressa phlogosi et viceversa. Attamen in arteritide rubor tunicae internae vasorum est coccineus, et in simplici imbibitione vasorum, sive ex praegressa tantum congestione, sive ex positione peculiari cadaveris aut exhalatione cruenta, color est rubro-fuscus; desuper in simplici exhalatione cruenta per lotiones, atque leves pressiones tunicae internae, arteriarum color ruber omnino disparet.

Quoties inflammatio uno tempore omnes tunicas arteriarum aggrediatur, tunc etiam externa tunica cellularis tumet, colore rubro-purpureo tingitur, et fere semper inter unam et alteram arteriarum tunicam effusio cruenta, licet levis, hinc inde distinguitur.

In inflammatione tunicae internae arteriarum, eoque magis si morbus diu perdura-

verit, membrana intima arteriarum propriam cohaesionem amittit, facile rumpitur, et nonnunquam adeo emollitur, ut modica digitorum pressione, uti dicam, dispareat. Notandum tamen est, quod tunica intima arteriarum duplici componatur strato, nempe externo vasculoso, intimo epidermideo absque ullo vasorum indicio, proindeque hanc tunicam tantum, in sua externa superficie vasculosa, substratum phlogoseos largiri posse.

Aat non modo parietes arteriarum sub processu phlogistico rubent, tument, et incrassantur; quandoque abrasionibus, ulceribus perforantibus, et indurationibus detinentur. Hoc potiassimum in chronica arteritide observatur. Nonnunquam arteriae naturalem elasticitatem amittunt; tunc sanguinis columnam non amplius sustinere valent, pedetentim expanduntur, et ultimo ipsum aneurysma exinde progenerari solet. Arthritis chronica, et syphilis potissimum dum arteritidi consociantur, genesi aneurysmatis favent. Ulcera arteriarum non raro observantur in interna earundem superficie. Haec ulcera variant figura, spatio et profunditate. Nonnunquam ipsa ulcera processu cicatrisationis pro parte vel ex integro sanantur. Alias tunicam fibrosam in compassionem trahunt, et bacce ra-

tione aneurysma ex arteriarum erosione et subsequa distentione tunicae externae cellularis arteriarum facile evolvitur. Observationes omnium practicorum nos docent arteritide vasa majora et aortam praeprimis affici, et pariter aortam et arterias majores colli, nempe carotides primitivas, subclavias et innominatam prae aliis sedem aneurysmatis suppeditare.

Arteritis acuta effusionem lymphatico-plasticam, coagulabilem plus minusve copiosam interdum provocat, quae quidem effusio facili negotio in interno arteriarum cavo fabricam vasculosam, atque fibrinosam induit, et nova producta pathologica organica constituit. Nonnunquam pseudo-membranae in arteriarum canalibus inveniuntur, licet hae novae productiones morbosae frequentius ex phlogosi venarum occurrant. *J. Bouillaud* et *Hodgson* quandoque observarunt lympham plasticam adeo ingenti copia in arteritide secerni, ut arteriae etiam majores omnino obturentur. Pseudo-membranae quae in interna arteriarum cavitate deponuntur, ab initio sunt molles, gelatinosae, et quodammodo in cavo arteriarum enatant, quin parietibus earumdem adhaereant. Prope pseudo-membranas, tunica intima arteriarum intense rubet. Secretio pseu-

do-membranarum raro sensibus percipi queit, nam lympha plastica, et ipsae pseudo-membranae facile cum sanguine commiscentur, et sub ictu cordis cum hocce humore ad varias corporis partes impelluntur. Liquido proinde patet nonnisi perraro arterias majores pseudo-membranis obliterari, nisi fortasse sanguinis circuitus retardetur aut suspendatur ob lypothymiam aut syncopen, et hinc sanguis suapte natura in coagulum vergat.

Quacumque demum causa lympha plastica, morbose secreta, tunicae internae arteriarum adhaereat; haec substantia formam organicam induit, nova vasa producit; et quemadmodum in phlogosibus membranarum serosarum videre possumus, lympha plastica ipsa diversos organisationis gradus acquirit, et modo characteres textus cellularis aut fibrosi, modo structuram fibroso-cartilagineam, aut ipsam fabricam cartilagineam et osseam ostendit. Maxima probabilitate squamulae cartilagineae et osseae, nec non striae albescentes et flavae quae in cavo arteriarum sub arteritide acuta aut chronica inveniuntur, a diversis mutationibus lymphae plasticae hujuscemodi originem agnoscunt. Experientia tamen nos docet in phlogosibus acutis aortae, arteriarumque majorum praestare lympham plasticam mollem aut pseudo-

membranas; et in phlogosibus chronicis e contra degenerationes fibrosas, cartilagineas, vel etiam osseas hujusce lymphae plasticae eminere. Degenerationes furfuraceae, sabulosae, quae hinc inde sub forma punctulorum aut macularum in interna superficie arteriarum deponuntur, facillime per levem pressionem digitorum aut unguium scalpturam sejungi possunt; est maculae, aut lamellae fibrosae, cartilagineae aut calcareae fortiter intimae tunicae arteriarum adhaerent, et quodammodo videtur membrana ipsa interna arteriarum metamorphoses fibrosae cartilagineas et sic porro subigisse. In hisce omnibus casibus interna superficies arteriarum est irregularis, aspera, et nonnunquam degenerationes hujusmodi peculiarem formam crystallisationis subeunt, et species *stalactitum* in intimo cavo arteriarum prominentium suppeditant.

Hucusque diximus de morbosis secretionibus, quae in cavo arteriarum inveniuntur. Haud rarum est, quod inter membranam internam et fibrosam etiam materia atheromatosa deponatur. Jam clarissimus Prof. *Scarpa* hasce collectiones purulentas, et atheromatosas in arteritide pluries observavit. Quoque *Andral* testatur se in sorta collectiones hujuscemodi vidisse.

Substantia purulenta aut puriformis, quae inter membranam fibrosam et internam arteriarum quandoque deponitur, pustulas plus minus elatas producit, quae demum sub maxima fluidi contenti pressione rumpuntur, et exulcerationes varias sollicitare valent, quas nuper adnotavimus in intima aortae aliarumque arteriarum superficie interdum vigere.

Degeneratio calcaris et cartilaginea tunicae internae ad alias arteriarum tunicas aliquibus casibus diffunditur; et tumores diversae figurae et molis oriuntur, qui sanguinis circuitum pro parte vel etiam ex integro impediunt. Non desunt exempla ubi arteria in fistulam osseam plane mutabatur.

Degeneratio cancerosa parietum arteriarum fere nunquam observatur. Quod si interdum in arteriis puncula nigrescentia inveniantur, haec potius, quam a vitio carcinomatoso vel melanode, a sanguine effuso, corrupto et nigrescente propriam originem agnoscunt, et per lotiones simplices aut leves pressiones saepissime dissipantur.

Obliteratio arteriarum e diversis causis procedit. Sanguinis coagulum, exsudationes pseudo-membranosae, et degerationes calcares inter potiora momenta numeratur quibus cavum arteriarum destituitur. Jam supra

vidimus, alterationes morbosas potissimum in aorta et aliis arteriis majoribus inveniri. Addere etiam possumus, generatim modificationes pathologicas parietum arteriarum, at secretiones abnormes superius memoratas specialim arteritidem acutissimam atque chronicam consequi. Post arteritidem levem, eoque magis symptomaticam, fere nunquam per cadaverum sectiones, degenerationes anatomicae modo enumeratae distingui possunt.

Symptomata.

Symptomata phlogoseos arteriarum numero et indole variant, prouti morbus acutum vel potius chronicum decursum teneat.

Pulsus arteriarum normali statu fortior et frequentior, ardor et peculiaris molestia illa in parte ubi arteria phlogosi detinetur, de more arteritidem incipientem comitantur. Quoties irritatio aut phlogosis arteriarum universum teneat corpus, aut carditide complicetur, tunc *febris inflammatoria, vascularis, angiosthenica,* aut *sinoca inflammatoria* passim ab auctoribus compellatur. In universali arteriarum irritatione atque phlogosi pulsus fiunt celeres, fortes, duri, vibrantes; facies et universa cutis colore rubro-purpureo tin-

gitur; temperies corporis eminenter augetur; et aegrotantes peculiari defatigatione totius corporis et praecipue capitis atque pectoris opprimuntur. Febris modo continua continens, modo remittens cum exacerbationibus vespertinis aut nocturnis, apparet; facultates intellectuales et affectivae modo pervertuntur indole, modo torpent, aut cito defatigantur; et omnes secretiones excretionesque imminuuntur.

Anatomia pathologica nos docet, in arteritide acuta per effusionem lymphatico-plasticam, aut sanguinis coagulum arteriam inflammatam obturari posse. Hisce casibus aegrotantes facili negotio lypothymiis recurrentibus aut ipsa syncope vexantur; quapropter sanguis ipse in coagulum vergit; et ipsa lympha plastica in cavo arteriarum collecta ulterius condensari queit. In aegrotantibus ubi arteriae inflammatae obliterantur, frequenter gangraena evolvitur, quae perperam ab aliquibus *gangraena senilis* nuncupatur. Reapse, obliterata aliqua arteria, nutritio partium, quibus arteria distribuebatur, summopere imminuitur vel etiam omnino impeditur; nam per vasa lateralia arteriosa sanguis ab initio minima defertur copia, et nonnisi post longum tempus vasa ipsa lateralia adeo

distendi sinunt, ut vices arteriae centralis obturatae gerere possint. Nunc temporis practici quamplures arbitrantur, *gangraena sicca* aut *senilis antiquorum* potissimum ab arteritide et subsequa obliteratione arteriarum majorum pendere. Quo promptius obliteratio arteriarum ad vasa minora et capillaria diffunditur, eo facilius gangraena diversarum partium subsequitur.

Generatim in phlogosi arteriarum, etiam partiali, febris symptomatica incenditur; et si forte e parietibus inflammatis arteriarum pus deponitur, quod sanguini conveniat, tunc secretiones externae potissimum alterantur indole, nec non phlogosis venarum superaccedit, quae tensione, dolore, et majori consistentia venarum cum peculiari colore terreo faciei et totius cutis manifestari consuescit.

Practici fere omnes in eo conveniunt, quod facili negotio phlogosis arteriarum acuta distinguatur. Diagnosia vero arteritidis chronicae majoribus premitur difficultatibus. Et primum arteritis chronica persaepe absque febri, ardore, et doloribus incedit. Ulcerationes quae in morbo hujuscemodi chronica decurrente superveniunt nulla symptomate peculiari distinguuntur, nisi fortasse perforatio

arteriarum et tumor aneurysmaticus superaccesserit. In ossificatione diffusa parietum arteriarum certe sanguinis circuitus in partibus adfectis perverti debet; ast etiam in hisce casibus symptomata diagnostica desiderantur, nam arteriae patientes vix non semper internas occupant cavitates, et sensus nostros effugiunt. Hodierno tamen aevo per auscultationem ad latera colli interdum peculiaris crepitus secus carotidem persentitur in morbosa rigiditate calcari harum arteriarum. Crepitus hujuscemodi *cantus arteriarum*, vel *bruit de diable* gallorum, appellatur. Ossificatio arteriarum in arteritide chronica, utpote causa frequentissima gangraenae dijudicatur; sed haud semper gangraena sequitur arteriarum ossificationem, et caeterum datur interdum gangraena, quin sub cadaverum sectione degeneratio calcaris arteriarum percipiatur. Quoties porro cum ossificatione vasorum, partes gangraena detineantur, vasa majora arteriosa coagulo sanguinis, aut lympha plastica obliterata patent. Praetervidendum tamen non est in arteritide chronica pulsum esse generatim durum, frequentem et tensum, atque in ossea degeneratione vasorum centralium quoque arterias radiales ad instar fidiae metallicae summopere validae digitorum pressioni resistere.

In arteritide chronica, coque magis in subjectis syphilide, aut podagra laborantibus, arteriae tum majores, tum secundariae et etiam capillares, pristinam elasticitatem amittunt; ob caussa leves, videlicet ob animi adfectus, lapsus, ictus et sic porro, facile rumpuntur; qua de re aneurysmata, haemorrhagiae, apoplexia et similis cum maximo vitae aegrotantium discrimine in posterum superaccedere possunt.

Caussae.

Caussae arteritidis, quemadmodum in aliis morbis observamus, sunt disponentes et occasionales. Temperamentum eminenter sanguineum et irritabile, juventus, virilitas summopere phlogosi arteriarum homines disponunt. Quoque phlogosea cordis et vasorum alias perpessae, et syphilis, arteritidi favent. Abusus porro vini, spirituosorum; animi pathemata vehementia et stimulantia; venus immodica; exercitia corporis mechanica protracta aut nimis violenta; vulnera, ulcera quae sequuntur operationes chirurgicas aut causticorum adplicationem; calor nimius; irritantis et acris ingesta aut in arterias injecta, et demum omnia momenta occasionalis phlogoseos

diversarum partium veluti totidem causae arteritidis occasionales habentur.

Traumata diversi generis, dum febrim provocant traumaticam, irritationem vel etiam phlogosim arteriarum promovent, licet hisce in casibus posthuma phlogoseos frequentius in venis quam in arteriis sub cadaverum sectione conspiciantur.

Prognosis et Exitus.

In arteritide acuta et levi, judicium prognosticum erit potius felix, nam per opportunam methodum therapeuticam adhuc nobis licet morbi resolutionem perfectam sollicitare. Anceps vero erit prognosis in phlogosi acuta gravi, nec non in chronica arteritide, nam hisce in casibus alterationes parietum arteriarum, effusiones lymphatico-plasticae, degeneratio calcaris, aneurysmata et similia frequenter accedunt, quae in posterum syncopes, haemorrhagias, apoplexiam, aut gangraenas lethales afferre queunt.

Juvenes, robusti et caeteroquin sani, caeteris paribus, feliciorem divinationem merentur, quam senes delicatuli et cachectici. Syphilis, podagra, complicationes phlogisticae, aut vitia organica cordis, arteritidem lethaliorem faciunt

Eruptio exanthematum et impetiginum; sudorea aequabiles, profusi, odoris acidi; urinae copiosae lateritiae, utpote phaenomena boni ominis in acuta et chronica phlogosi arteriarum judicantur.

Cura.

Nullum esse potest dubium, in phlogosi arteriarum tum acuta tum chronica methodum antiphlogisticam consulendam esse. Hucusque in acuta arteriarum phlogosi omnia adminicula therapeutica adhibita fuere, quae in morbis inflammatoriis generatim suadentur. Venae sectiones proinde generales et locales, pro casus diversitate plus minusque frequentes et generosae, diaeta tenuissima cum jusculis carneis, pulmentis facilis digestionis et modica quantitate administratis; potus refrigerantes, aciduli demulcentes; lotiones emollientes; balnea universalia tepidula; antiphlogistica cujuslibet generis atque solventia in acuta arteriarum phlogosi optime conducunt.

Quum vero irritationes et phlogoses arteriarum frequenter ab inflammatione viscerum nobilium procedant, nil mirum quod tractamen therapeuticum intensitate modificari

oporteat, pro diversa praestantia visceria patientia. Verum enim vero in arteritide sympathica ex phlogosi cordis, pulmonum, aut organorum digerentium necesse est illico sub primis morbi exordiis sanguinis depletionea generales bis et amplius in die iterare, ne posthuma infausta superveniant, quibus aegrotantium vita minitetur vel etiam extinguatur. Post operationes chirurgicas atque in casu vulnerum persaepe arteritis et phlebitis prope partes vulneratas incenditur. Hisce in casibus praeter methodum antiphlogisticam contra phlogoses omnes communiter adhibendam, summopere interest vulnus opportuna medicatione obtegere, corpora heterogenea sedulo amovere, et emollientia vel adstringentia topica suppeditare, ut processus cicatrisationis sollicite, quantum fieri potest, promoveatur.

Quum in arteritide acuta et gravi facili negotio ab intima arteriarum tunica pus deponatur, quod sanguini commixtum phlebitidem, febrim nervosam, typhoideam et similia sollicitare potest; necessarium esset per diversa emunctoria, et praeprimis per vesicantia et frictiones stibiatas expulsioni substantiae purulentae hujuacemodi e corpore favere.

In arteritide partiali partium externarum quandoque depletiones sanguinis locales, et topica emollientium adplicatio sufficiunt, ut morbus faustis sub auspiciis resolvatur.

Relate ad pharmaca, quae sanguinis crasim alteratam corrigunt, et adauctam vasorum irritabilitatem compescunt, martialis, digitalis, nitrum et cremor tartari ad doses refractas, a practicis vix non omnibus in quilibet arteritidis specie suadentur.

Contra arteritidem chronicam illa omnia conveniunt therapeutica adminicula, quae vidimus in acuta phlogosi arteriarum opitulari: solummodo animadvertere possumus, phlebotomias generales pares tantum manu et debita prudentia iterandas esse.

Alterationes quae in fabrica anatomica parietum arteriarum occurrunt, utpote essent exulceratio, concretiones calcareae et similia nullam rationalem therapiam agnoscunt; nihilominus dantur casus in quibus abrasiones parietum arteriarum solis naturae viribus in sanitatem vergunt, et perfectam ducunt cicatricem.

In alterationibus aneurysmaticis, gangraenosis, et calcaribus arteriarum artuum, interdum ligatura vasorum eorundem, vel artus adfecti amputatio consulitur. Diaeta te-

nuis, animi et corporis quies, digitalis, martialia, acida vegetabilia et mineralia diluta arteritidi chronicae, et degenerationibus arteriarum internarum opponuntur, ne morbus in pejus ruat et aegri ante tempus extremo obruantur fato.

FINIS

THESES DEFENDENDAE.

I.

Diagnosim arteritidis chronicae pluribus difficultatibus obnoxiam.

II.

Stethoscopiam quandoque diagnosim arteritidis explanare.

III.

Unguentum citrinum in scabie chronica et venerea caeteris medicaminibus praestare.

IV.

Quo citius faeminae evolvuntur citius senescunt.

V.

Adfectiones scirrhosas et cancerosas potissimum a perversa assimilatione procedere.

VI.

Jejunium Quadragesimale, intuitu etiam medico, suadendum.